



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

In æuo nullam esse succeßionem communis opinio fert. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

In æuo nullam esse successionem, communis opinio fert.

Opposita sententia, quam plures Scholastici sequuntur, amplectenda est, nullum nempe in æuo successionem esse: quam tradiderunt Alexander 1. p. q. 12. memb. 9. art. 3. in corpore, & ad 1. Albert. in opus. de quatuor coevis q. 3. art. 6. S. Thom. cum Caietano in hoc art. 5. & quodl. 10. art. 4. ubi sententiam Bonaurenturæ ex professo impugnatur, Henricus quodlib. 5. q. 18. Durandus in 2. d. 2. q. 3. capreol. q. 2. art. 1. concl. 5. Gabriel. d. 3. q. 1. art. 1. notabili 3. & 4. Okam in 2. q. 10. Eamque probabilem existimat Ricardus, & Scotus locis citatis in superiori cap. imo Scotus probabiliorē existimat.

Alexand.
Albert.
S. Thom.
Caietanus.
Henric.
Durand.
Capreol.
Gabriel.
Okam.
Ricardus.
Scotus.

Observandū.

Ceterum, ut hanc sententiam explicemus, observandum est, de æuo Angelorum dupliciter nos posse loqui: primo, quatenus à nobis concipitur quasi intervallum quoddam imaginarium durationis, quo pacto non est sine successione, cum à nobis cogitari nequeat, nisi instar temporis succedentis. Atque hoc modo de æuo locuti videntur Nazianzenus, & Damascenus locis allegatis cap. præcedenti: sed de hoc præsens controversia intelligenda non est. Deinde loqui possumus de ipsa reali duratione Angelī, prout in se ipsa est; quæ, sicut optime dixerunt Gabriel, & Okam, ab ipso esse rei non distinguitur. Atque de æuo hoc modo inter Doctores dissensio est: in qua veriorē esse diximus opinionem asserentium, nullam realem successionem æuo convenire in ipso considerato sine relatione ad extrinsecam aliam durationem. Quod si ævum accipiatur relate ad extrinsecam aliam durationem, docent Gabriel, & Okam, nomine ævi non solum durationem permanentem significari, sed commorari etiam simul successionem aliquam: quod verum verum sit, an non, paulo post dicemus.

Nazianz.
Damascen.
13

Augustinus.
Probat
auctorit
sententia au
gustiniana.

Hoc iacto fundamento hæc nostra sententia probatur; imprimis testimonio Augustini. 12. de civit. 6. 15. non longe a fine: ubi, ut ostendat, Angelos æquales Deo esse non potuisse in æternitate, inquit: Tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coeternum: ac per hoc etiam si immortalitas Angelorum non transiret in tempore, nec præterita est, quasi iam non sit, nec futura, quasi nondum sit: tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur ex præterito in futurum transiunt, & ideo creatori coeterno esse non possunt. Hæc Augustinus. Qui sane appellat immortalitatem Angelorum substantiæ ipsorum durationem, quod corrumpi nequeat à secunda causa, ut dicitur 1. 8. monstrabimus: atque fatetur in ea nihil esse præteritum, nihilque futurum: successionem autem solum esse in Angelorum operationibus. Nos vero de æuo Angelorum, quod est duratio substantiæ, nunc disputamus, nam de duratione operationum inferius dicemus.

14

S. Thom.
Ratione univ
ersa ostenditur
eandem sen
tentiam.
Bonaurent.
In ævo non
esse varia
tionem, nec
successionem
ex parte du
rationis.

Unica autem ratio, quam B. Thomas retigit in art. 5. hoc ipsum probatur in hunc modum. Excogitari non potest successio sine variatione, in ævo autem Angelorum non est variatio, ut docet quoque S. Bonaurent. ergo nec successio. Porro sine variatione esse non posse successionem probatur primum ex parte ipsius durationis considerata tantum sub ratione durationis: deinde ex parte ipsius substantiæ Angelorum, cuius est duratio. Ex parte quidem durationis formaliter, quia si in ea est futurum, quod nondum est, & aliquando est

præsens, eo adueniente, id quod præsens antea erat, fiet præteritum; nam cum eo quod advenit, manere non poterit: eo quod unum tantum nunc debet esse: præsens, illudque omnino individuum. Cum ergo futurum esse nequeat, nisi ubi est præteritum, & si variatio in præterito solum contingat, ut vult Bonaurenturæ; sequitur, in duratione ævi esse variationem præteriti.

Scotus diff. illa 2. quest. 1. §. Ad argumenta contra illam, hac ratione conuictus, fatetur, ubicunque est futurum, necessario esse debere præteritum: Sententiam tamen Bonaurenturæ alio modo defendit. Inquit enim, in mora aliquā durationis formaliter sumpta, posse esse variationem præteriti; cum tamen ea non sit in re ipsa, cuius est duratio. Atque hoc pacto in duratione Angelorum esse quidem variationem præteriti, sed in eorum substantia non esse: nec aliud docere voluisse Bonaurenturam affirmat. Adhibet exemplum, si poneretur caro sub quantitate, non habens partes; tunc quidem in extensione quantitatis essent partes, non in ipsa carne, cuius est quantitas illa: sic ergo in duratione, sub qua est Angeli substantia, sunt partes præteriti, & futuri, in ipsa tamen Angeli substantia non sunt.

Huius doctrinæ Scoti meminit Caietan. in art. 5. Eius vero omiſſa impugnatione, hac ratione facile ea conucllitur. Fieri non potest, ut caro habeat sibi quantitatem inhaerentem, & ipsa extensa non sit: sicut habere nequit albedinem, quin sit alba: extensum namque ita est effectus formalis quantitatis, sicut album albedinis. Hic vero sermo est de duratione Angelorum, quæ ipsis inhaeret, imo idem est omnino re ipsa cum eorum substantia: quamvis ergo possit esse duratio extrinseca Angelo, quale est tempus nostrum, quo ipse tanquam mensura definitur, ut inferius dicemus, atque in ea possit esse variatio præteriti, & futuri, cum in ipsa Angeli substantia non sit: esse tamen non potest duratio intrinseca Angelo cum ea variatione, quin substantia ipsius varietur: sicut esse non potest albedo in corpore, quin ipsum faciat album, nec quantitas, quin ipsum faciat quantum, & extensum in partes. Patet igitur, in duratione Angelorum formaliter sumpta, esse non posse successionem futuri sine variatione præteriti, ut volebat Bonaurenturæ.

Sed neque in ipsamet substantia Angeli successio esse potest. Nam si esse Angeli futurum est, illud aliquando erit præsens, vel ergo est idem quod antea erat: & sic non erat futurum, sed præsens: vel aliud, & ita necesse est, eo adueniente, illud quod præsens erat, præterire, aut duo esse simul permanere. In ipso ergo integro esse Angeli nulla est successio futuri, aut si successio est, esse debet variationis præteriti.

Dicit aliquis, successionem futuri in Angeli substantia non esse totius substantiæ, sed partis, quæ ita aduenit successionem quadam futuri, ut non prætereat, quæ antea erat præsens, sed tota permanset; sicut si in substantia hominis nihil amitteretur, adueniente noua parte substantiæ per nutritionem, esset quidem successio futuri, non autem variatio præteriti. At hoc frivolum est, cum quia Angeli substantia est omnino individua, ita ut partes non habeat, ergo nihil ipsi substantiale aduenit, ut expresse notant Augustinus loco allegato, aut ostendant nobis, quidnam sit illud, quod successionem

Scotus.

Scoti defini
tio.

15

Caietanus.
Impugnatur.

16

Idem pre
batur ex
parte rei du
rationis.

Effugium.

Præcluditur.

cessione futuri substantiæ Angeli accrescit. Tum etiam, quia si ita fieret, nihilominus non esset in ipsa substantia successio, quod enim adueniat pars aliqua, non sufficit, ut sit successio totius esse, sed tantum totum esse substantiæ sine successione semper permanet idem, quare in duratione totius esse substantiarum corruptibilium, quæ nutritione, vel alio modo possunt novas partes acquirere, successio futuri esse nequit. Nam totum, quod futurum est, nunc est, & semper fuit, licet non sub tanta quantitate, & materiæ multitudine, verbi causa, homo ab initio est homo, & nunquam desinit esse homo, quamdiu vivit, neque qui futurus est, alius est homo.

S. Thomas, Henricus, & alij solum contra Bonaventuram contendunt, esse variationem aliquam, ubiqueque est successio futuri: quia quod futurum est, aliquando præsens erit. At Bonaventura hoc genus variationis non negat, sed solum illud, quod est in præterito, hoc est, per quod, adveniente futuro præteritis, & desinit quod præsens erat. Nos vero, & hanc variationem necessario esse probavimus, ubiqueque futurum est. Quod si ita est, efficitur plane, ut nullum esse rei successione coalescat, nisi quod totum simul non est, sed partibus præteritis, præsentibus, & futuris constat, qualis est substantia, & esse motus.

Aliqui tamen ita defendunt, in duratione Angeli esse successione, ut solum duratio illa successione dicatur, non autem Angeli substantia, quia successio proxime inhæret durationi, non substantiæ. Putant enim, durationem à substantia Angeli distingui realiter, sicut modum à re. Nam quemadmodum duratio motus à motu distinguitur, eo quod manente eodem motu, duratio variatur, secundum velocitatem, & tarditatem, ex qua mutatione arguitur optime distinctio, saltem ut modi à re, sic etiam in alijs rebus duratio distinguitur à substantia.

Ego vero aliter existimo. Nam primo, si duratio à re ipsa, cuius est, distingueretur, posset esse successio in illa, etiam si non esset in substantia ipsa. Secundo dico, etiam si duratio motus ab ipso motu distingueretur, non proinde duratio substantiæ ab ipsa substantia distingui deberet, nam licet in duratione motus appareret aliqua varietas, quæ non esset ipse motus, ob quam diceretur ab ipso motu distingui, in duratione tamen substantiæ nulla est varietas, quæ non sit in ipsa substantia, nec unum ab alio, aut contra separari potest. Sine fundamento ergo diceremus, durationem substantiæ ab ipsa substantia distingui, sicut modum à re. Tertio assero, eandem substantiam motus secundum eandem partem non posse esse tardam, & velocem aut variari aliquo modo in duratione, ut experimento compertum est. Quare non est, cur in ipso motu duratio eius ab eo distingatur: sed in universum cuiusque rei duratio idem sit cum re ipsa, cuius est: ac proinde si in duratione est successio, etiam in substantia ipsa, cuius est, esse debet.

Cæterum prædicti auctores probant durationem distingui à substantia Angeli hac ratione. Hæc substantia potest esse sine hac duratione, licet non contra: ergo saltem duratio à substantia Angeli distinguitur, ut modus à re, cuius est modus. Posse autem substantiam Angeli esse sine hac duratione, sic ostendunt. Potest substantia Angeli, quæ nunc habet hanc durationem, annihilari, & iterum pro-

duci, iterum autem producta, est eadem numero substantia, non eadem duratio: ergo duratio à substantia distinguitur. Idem argumentum de motu fieri posset. Respondeo substantiam eandem numero posse annihilatam iterum produci; tamen tunc non esse aliam durationem intrinsecam, sed eandem ac si continuo perseveraret: dici autem solum diversam durationem extrinsecam per respectum ad alias extrinsecas mensuras, quibus coexistit: sicut & idem Angelus dicitur nunc & prius durasse, & postea duraturus, cum reuera habeat eandem omnino durationem. De motu vero pronuncio non posse eundem numero motum redire, etiam per Dei potentiam; quia unitas motus ex tempore sumitur.

Porro, ut finem huic postferri parti imponamus, advertendum est, Okamum, & Gabrielem ita hanc sequutos esse sententiam, ut concedant in re ipsa & substantia Angeli, vel etiam duratione, quatenus in se ipsa est, nullam esse successione futuram: vero ita eam hoc nomine, *Duratio*, significari, ut ipsum simul connotet successione alterius durationis, cum qua ipsa possit existeret, & simul durare. Quare, si non posset esse talis duratio cum successione ea, quæ est Angeli, non posset hoc nomine *Duratio*, significari. Falluntur tamen aperte: quamvis enim nomen *Duratio*, à rebus sensibilibus, in quibus est, cum aliqua successione ad spiritualia videatur derivatum, & extensum, quod omnis duratio ad modum successione cuiusdam commodius concipiatur; hinc tamen non fit, ut nomen *duratio*, quatenus significat Angeli durationem, connotet successione aliquam, sicut nomen *Sapientia*, cum sit derivatum à rebus creatis, & ad divina accommodatum, non ita significat Dei perfectionem, ut simul connotet creatam. Aliud enim est, eam significare instar creature: aliud vero est, simul creatam connotare.

CAP. V.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ.

UT satisfaciamus testimonijs Patrum, & rationationibus pro priori sententiâ adductis, observandum est discrimen inter ævum rerum spiritualium creaturarum, & Dei æternitatem, quod assignat B. Thom. in art. 3. Differunt igitur, non quia ævum principium habeat, æternitas vero non habeat: fieri namque potest iuxta multorum sententiam: ut res spiritualis ab æterno creetur: tunc ævum non haberet initium, nec ex ea parte ab æternitate differret: sed quia æternitas ita est duratio Dei permanens sine successione, ut nec in ipsa substantia Dei, cuius est duratio, nec in operatione, aut aliquo alio coniunctam sibi habeat successione; ævum autem rerum creaturarum ita est duratio permanens substantiæ, ut tamen in accidentibus, & operationibus, quæ sunt simul cum ipso, successio sit. Quare æternitas est duratio rei ex omni parte: ævum autem solum ex parte substantiæ permanens, & tota simul.

Hinc facile constat, quid voluerint Sancti Patres pro priori sententiâ commemorari. In primis ergo illi omnes, qui soli Deo perseverantiam durationis sine ulla successione tribuunt, perinde atque immutabilitatem, loquuntur plane de æternitate, quæ ex omni parte successione caret: Hanc autem

Solutio.

Nominalis sententia.

Rejicitur.

S. Thomæ Discrimen inter ævum & Dei æternitatem.

21

Soluntur tam Patrum testimonium.

autem